

MELISMATA GRA-  
TULATORIA

Scripta & exhibita  
ab Amicis.

JOHANNI NEOMENIO

Francostenensi Silesio, Illustris Aulae  
Bregensis haecenus Concionatori.

*Nunc verò*

*Divini Numinis Voluntate,*

Illustrissimi Celsissimiq; Li-

gio Brigensium Principis ac Domini DN:

IOHANNIS CHRISTIANI,

Silesiae Ducis, Autoritate,

In Generali omnium, in toto Ducatu, Mi-  
nistrorum Eccles: Conventu, Superin-  
tendenti publicè inau-  
gurato.

Die XXVIII MAJI.

A. C. M DC XIV.



B R E G Æ

Ex Calcographia CASPARIS SIGFRIDI.





Viro Reverendo & Claris<sup>o</sup>

DN. JOHANNI NEOMENIO, CON-  
cionatori nostro Aulico, & nunc totius  
Ducatus Superintendenti novo.

**E** tu tentasti superas volitare per arces  
Ingenio, studiis, more, labore, fide;  
Non tibi pauperies unquā, nō tristis egestas  
Obstitit; æternas mens bona vexit opes.

Quæis nunc supremam meritò contendis in arcem  
Theologiæ; in templis ut sacra cuncta regas.

Hoc non humana regimen tibi forte paratum est,  
Est alius, qui res ducit ad alta tuas:

Ille est, qui ima videt: qui mentis viscera lustrat,  
Quiq; oculis cernit corda modesta suis:

Qui tenuem tollit de pulvere, quiq; popellum  
Sortis ab illuvie foetidior levat:

Hunc ut Principibus societ, summisq; Toparchis,  
Quos jusit populi fræna tenere sui.

Hoc tu pertristem inter nos solamine mentem  
Erige: & officio fer bona multa tuo.

*Compatri meo caris<sup>o</sup>.*

*qui propter novum hoc munus mihi vide-  
batur tristior, faciebam stilo extemporaneo*

*Jacobus Schickfusius Philosoph:*

*& J. V. Doctor, itemq; Bregéo Li-  
gnicensis Consiliarius.*

*Aggre-*



**A**ggrederis munus Superattendentis, amice,  
Decernente Deo, & præcipiente Duce.  
**A**ggrederis magnum munus, clarissime amice,  
Plura adversa, & erunt perpetienda tibi.  
Consortes veræ fidei, quàm, factio quædam,  
Dente atro rodat, publica scripta docent.  
Quorum Ihoſa parens est, quos tutatur, amatq̃;  
Qui nomen Christi, in corde, & in ore gerunt:  
Quis animæq̃; ſalus cura unica, propter & illam,  
Caſibus urgeri triſtibus haut renuunt:  
Quas ſi fraterno complecti nollet amore,  
Saltem tanquam hoſtes, jure, ea diligeret:  
Hos procul à ſe, ceu viroſa catharmata, pellit,  
Optatq̃; ejeſtos urbibus, orbe, polo.  
Imò, quod horrendum dictu, lectuq̃; videtur,  
Credere Plutonem rectius, ipſa putat.  
Aq̃; ſepultura, deſunctos arcet honeſta,  
Sæviturq̃; in tumulos, oſſa ſepulta cremans.  
Turcis, Iudæisq̃; hos judicat improbiores,  
His, Stygio regi regna dicata, dicat.  
Exſulet at terror, valeant maledicta, minæq̃;,  
Iudex, & vindex, ætheris autor erit.  
Tandem exſcindentur, quibus haut concordia cordi eſt:  
Pacifici, Ihoſæ ſalva propago, cluent.  
Non metuenda pijs fortunæ fulmina sæva,  
Cum Chriſto, & ſanctis, vivere ſi cupiant.  
Qui placidè non fert violenta incommoda fati,  
Flammas, tartarei ſentiet ille Iovis.  
Quod patimur, meritò patimur, meritò & pateremur,  
Gratuitæ veniæ, deteriora, loco.  
Hoc animum recreet, quod adis hoc munus, onusq̃;,  
Decernente Deo, & præcipiente Duce.



Nam tibi non grave erit, tibi si quid pergrave visum est,  
Numinis auxilio, præsidioq; Ducis.  
Multos officio non uti ritè dolendum est:  
Sectantur potiùs pocula, quàm populum.  
Plusq; voluptatis, bibere, his, quàm scribere gignit,  
Vinea nec Domini, at svavia vina placent.  
Biblici & haut, bibuli at sunt, non leges, seges ipsis  
Grata est, nec venia, at foenus, inersq; Venus.  
Non ægros, sed agros curant, nec semina Verbi,  
Sed quo spargendum semen, in arva, modo:  
Non æquum, sed equos: benè arant, sed segniter orant,  
Obtrectando nocent, sæpeq; falsa docent.  
Et contra officium, vitia, & convicia dira,  
Pacem haut, litis, amant, dissidijq; facem.  
Ará, hara, caula, aulá cælesti gratior his est,  
Linqvunt Christi & oves, respiciuntq; boves.  
Concioq; arridet sociorum, haut concio templi,  
Non operæ, sed opes, non legere, at regere.  
Estq; vacatio ijs, raroq; Vocatio curæ,  
Affectatur honos, despicitur sed onus.  
Munere tu functus, magna cum laude, priories,  
Cum laude & præris, Numine dante, novo.  
Præsis cum laude & fructu: corroboret ille  
Nervos, ac vires, qui tibi tradit onus.  
Qui tibi tradit onus, non hic te deseret unquam,  
Sicq; satis fiet, muneri & huic oneri,  
Perge docere, sacris quæ consentanea libris.  
Non sic vel Momo, quod reprehendat, erit,  
Christe, tuum dogma, & fidos defende ministros,  
Res agitur tua, rem, Christe, tuere tuam.  
Atq; inimicorum perverfas corrige mentes,  
Electumq; fove, Pastor, ovile tuum.

Scandala



Scandala cuncta ruant, odium, lis, schismata cessent.  
Aurea pax ditet Solis utramq; domum.

Christophorus Rösler D.

**A**D dextram residens summi. GENITORIS ab alto  
CHRISTUS in hac, sacrum colligit agmen, humo.  
Doctoresq; pios, qui dogmata sacra propagent  
Excitat, & sacri FLAMINIS ornat ope:  
Ut velut aureolis Alcides agmina vinclis  
Traxerat, ad superos agmina voce trahant.  
Sic, NEOMENI, etiam, doctissime, RECTOR Olympi  
PRÆSULIS ad sacrate munera IHOVA vocat:  
Iusq; BREGÆUS dias tibi tradit ad aras  
PRINCEPS, ut doceas de pietate, sacra.  
PRINCEPS in toto qui jam celeberrimus orbe,  
Cujus laus nulla est interitura die:  
Munus ad hoc qui te felicibus excitat astris,  
Is tua divino Numine cepta juvet.  
Ut veneranda DEI spargas oracula templis,  
Agmen & ad Cali templa docendo trahas,  
Sospite te, sospes latetur Concio CHRISTI,  
Gratans Pastori munera tanta suo.  
Gratulor ergo tibi, Superintendentis honores,  
Utq; DEO laudi sint Patriaq; precor.  
Inde salus crescat populis, & gloria CHRISTO  
Et veniant votis congrua fata meis.  
Omnipotens presens adsit tibi NUMINE, IHOVA  
CHRISTUS & aternum te regat, atq; tegat,  
Ille tuis faveat studiis, sit cura laborum,  
Perfacilis, ceptum det benè cedat opus

A 3

angeat



*Augeat usus opes animi, mora luminis usum,  
Parca moram lucis, fata secunda DEUS.  
Despice si qua jacet lita felle Calumnia, tela,  
Non alios, semet perniciofa notat.  
Vince ferendo mille labores, mille dolores,  
Et fer vincendo cuncta, IUVANTE DEO.  
Cuncta IUVANTE DEO cedunt feliciter, illum  
In DOMINO ceptum nec malè cedet opus.  
Hoc igitur totis, quàm possum, viribus opto;  
Ut tibi profit honos, & relevetur onus.*

*Fausta congratulationis ergo. F.  
Johannes Lemaan Pastor Thirpi-  
censis. d. x VIII Maij. à N.C. anni.  
Da reqV leM gentI ChrIste benIgne tVa.*

---

**E**T Genio Ingenioq; tuo, Clarissime IAN E,  
Majus avet meritam necere Laureolam.  
Laudis habes cumulum; tibi Principis aula vocato  
Suggestûs posuit pulpita SACRA sui.  
Iamq; novos fasces Dux IAN-CHRISTJANVS adaptat,  
Cum jubeat Tractûs totius esse CAPVT.  
Surge in jussa DVVIS, rege didita templa DVCATûS,  
Ne quis doxosophûm dogmata falsa serat.  
I, Superintendens vitam moresq; docentum,  
Ne sit doctrinæ, dissona vita, piæ.  
Magna, ais, hæc sparta est: At tu, NEOMENIA LAMPAS,  
Vivida nota bonis pectoris aura tui est.  
Gratulor hinc nobis: sis quem Dux esse requirit,  
Officium, & Fratrum Calculus unanims.

Spondeo



Spondeo sic GRATVS, cunctis, NOVALVNA, DVCA-  
Is re, qui verbis esse fereris, eris (TVS

*Christophorus Reichelius*  
*Pastor Rancovianus.*

---

IOHANNES NEOMENIUS.

per Anagrammatismum,  
MENS NON SINE IEHOVA.

**C**HRISTE, PATRIS VERBUM, Caput, &  
Rex alme Sionis,  
Qui das Doctores, & simul Ipse doces,  
Perq; Ministerium mysteria sacra revelas,  
Sermonis cursum dirigis atq; tui.  
Grata tibi, memori, præconia, pectore, laudis  
Concino, semper honos sit mihi in ore tuus:  
Immensa miserum me quòd bonitate vocasti,  
E Cathedra populum ritè docere tuum,  
Noticiamq; tui cunctis expromere: Verbo  
Monstrare & callem, qui super astra vehit.  
At quantus labor hic: quanta hæc sapientia; Cæli  
Doctrinam, & Patris nosse secreta tui?  
Quàm sum infirmus ego, corruptus labe parentum,  
Qui tantum in mundi carcere vana sequor.  
NON MENS vera potest, SINE Vero scire IEHOVA,  
Namq; DEV M, non est, noscere, Carnis opus:  
Nil valet hic ratio, nec vis est ulla superstes,  
Quâ valeam saltem vel meminisse tui,  
Vnde igitur vires, tanto quo munere possim  
Perfungi, ac quiram? Quis feret auxilium?

Ad



Ad Te suspiro, CHRISTE, O SAPIENTIA PATRIS,  
Tu, per se fragili, ferto benignus opem.  
NON SINE Te mea sit MENS unquam, Magne IE-  
HOVA,

Tu mihi sis Robur, Dux, via, norma, Canon.  
Cor humile, Ingeniumq; sagax, & labra diserta  
Affectus puros da, (potes,) Ipse, mihi.  
Audi vota precor, gemitus nec sperne vocantis,  
Promissi verax sis memor atq; tui:  
Tu largire mihi, SACRI, pia munera, FLATVS,  
Ut studiis adsit, coeptaq; cuncta juvet,  
Mentis & accendat radios, ac sensibus addat  
Lumen, sit Custos Oris, Is, atq; mei.  
Quæ facienda docet Verbum, fugienda monctve,  
Omnem, oro, vitam sic regat ILLE meam.  
Auditorum etiam mentes illustret, & intus  
Corda regat, doceat, donet & ista fide:  
Sit quoq; Lenimen, mihi si vel turba malorum  
Insultet, Legis nescia ferre jugum:  
Hos fragiles intus vel si timor occupet artus,  
Bella vel exterius me undiq; dira petant,  
Fulciat IPSE fidem, foveat spem, robur & addat,  
Ne mea, ad impositum, massa, fatiscat, onus,  
Nec cedam adversis; sed contra audentior ire  
Enitar, TVA Vox dum mihi monstrat iter.  
Principium cursûs, medium, sit finis & IDEM,  
Vtile conficiat me Organon atq; Tibi.  
Sic mihi sit DVCTOR, DOCTOR, DICTATOR, & Au-  
SPIRITVS, Exemplar sim gregis utq; tui, (thor  
Ac digne possim mandato Munere fungi  
Nominis ad laudem Maxime CHRISTE Tui.  
A M E N.



Elencus contentorum.

Bismarci vita et res gesta theologorum orthodoxorum recens.

MUSNERI Fides Jobi.

concilium oecumenicum octavianum.

ULB Halle

3

003 509 435



5le

V. 17.









MELISMATA GRA  
TULATORIA  
Scripta & exhibita  
ab Amicis.

JOHANNI NEOMENIO  
Francostenensi Silesio, Illustris Aulæ  
Bregensis hæctenus Concionatori.  
*Nunc verò*  
*Divini Numinis Voluntate,*  
Illustrissimi Celsissimiq; Li-  
gio Brigensium Principis ac Domini DN:  
IOHANNIS CHRISTIANI,  
Silesiæ Ducis, Autoritate,  
In Generali omnium, in toto Ducatu, Mi-  
nistrorum Eccles: Conventu, Superin-  
tendenti publicè inau-  
gurato.

Die XXVIII MAJI.  
A. C. M DC XIV.

BREGÆ  
Ex Calcographia CASPARIS SIGFRIDI.